

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 83. (*Neovidensis* 1806. Nro. 76.)

---

*Ex Campis Elysiis*

*Colloquium Politicum  
vita functorum.*

---

*Elyslum -- Meum. - Die Veneris 3. Octob. 1806 (Neov. 19. Sept)*

---

— — O cives quaerenda pecunia primum;  
Virtus post humos.

*Colloquentes Umbrae.*

*Civis, et Ruricola.*

*Civis.* Ita est profecto; *Ruricola* existimat felicitatem fixisse domicilium in urbibus, et *Civis* spectat vitam agrestem, ut pulcherrimum hominum statum.

*Ruricola.* Homo sua sorte nunquam est contentus, sed semper majora appetit. Verum terra est, quae materno nutrit genus humanum; hac de causa observo *Ruricolam* plus conferre ad publicam utilitatem, quam civem, licet ambo sibi mutuo prosint.

*Civis.* Heus amice! festina lente, nonne ex urbibus demigrat ad vos aurum?

*Ruricola.* Dilectissime amicorum! Quid est aurum? Non viget ubique aequalis moneta. Abyssinii loco auri utuntur sale, Indi conchis, Incolae novae terrae salpa, Americani pellibus, montani autem scoti clavis.

*Civis.* At nos natamus in auro, et argento, o quam pulchre splendent aurei!

*Ruricola.* Jam animadverto te deditum esse Religioni aureae. Talibus deliciis estis vos cives innutriti! sed omnia profert tellus, et omnia in illam revertuntur. Hoc est praecipuum politicae oeconomiae principium, volente ita natura. Homini enim toties ad physicam, vel moralem naturam confugiendum est, quoties vel necessitates, vel leges oondit pro societate. Sit ille ruricola, vel mercator, possideat provincias, vel aurum, sustentetur labore manuum, vel ingenio — sola terra suppeditat ei alimenta.

*Civis.* Attamen auro abundare eum oportet.

*Ruricola.* Nemo nutritur, aut vestitur auro, et argento, nemo ponit domus ex auro, vel argento; Haec sunt solummodo media.

*Civis.* Negotium isthoc vobis ruricolis non est ita cognitum, atque nobis mercatoribus. Aurum in monetam conversum idem est in societate, quod tesserae in lusu. Attende, quid sibi ista velint. In lusu aurum est merx, & tesserae signa hanc mercem representantia. Ita etiam omnia terrae, et industriae producta sunt tantum merx et aurum signum ejus representativum. Sic licet cum majore vel minore copia auri, imo etiam sine auro, ope permutationis quaestum facere, sicut cum pluribus, vel paucioribus tesserae ludere. Sed sicut plures, vel pauciores tesserae sunt in lusu, ita hae tesserae plus, vel minus auri representant. / Eodem

modo, si in societate plus, aut minus pecuniae circulet, etiam plures, vel pauciores merces per eam repraesentantur. Valde multae, aut valde paucae tesserae inamaenum reddunt lusum; nimis multae, vel nimis paucae pecuniae difficile faciunt commercium, et permutationem multis incommodis obnoxiam. Si desint in lusu tesserae ex ebore, substituuntur ex charta; Idem evenit etiam in societate, deficiente auro cuditur pecunia chartacea. Ad tollenda incommoda ex multitudine tesserarum promanantia adhibentur aliae tesserae, contractus dictae, quae jam majorem numerum simplicium tesserarum repraesentant. Ut pecunia eo facilius numeretur, cui sunt floreni, Imperiales, et aurei, ac denique chartacea pecunia 500, et 1000 florenorum fabricata.

*Ruricola.* Chartaceam pecuniam non possum probare.

*Civis.* Illa tamen maximi est momenti in civitatibus commercialibus, v. g. Londini, ubi singulis diebus 100 millionibus librarum Sterlingiarum, et amplius merces emuntur; si ibidem quisque numerata pecunia cuperet debitum solvere, quot, quasso curribus, quot egeret bajulis ad de loco ad locum quotidie tranpotandos 100 milliones libr. Sterl. quot conducendae essent manus, quae eisdem numerarent? Hic itaque schaedae bancales sunt ingens beneficium ad acceleranda negotia quaestorum; Aliter res habet in provinciis tantum commercium

non exercentibus. Regredior iterum ad tesseras lusorias. Si lusor tesseras, vel contractus, quos lucratus est non posset in pecunia recipere, vel deciperetur, vel collusor non esset solvendo. Idem est, si pecunia chartacea nullae possent merces, vel alimenta comparari, vel si valor ejus comparate ad monetam nimium imminueretur. Tunc enim in civitate oriretur perturbatio, unde pessima consecutaria.

*Ruricola.* Nunc intelligo, cur Imperator Austriacus nuperrime novum curaverit publicandum Edictum. Vult nempe mala praecavere, suasque provincias intra aliquot annos ad pristinum reducere florem.

*Civis.* Atque haec est paterna sollicitudo. Ad nos illa extenditur omnes, intenditque nostram felicitatem, diuturnitate bellorum labefactatam instaurare. De re nostra agitur, de bono omnium, qui clementi ejus sceptro subsumus. Est sincera continuatio illius, Domui Austriacae proprii proverbii: — *Honestum durat quam diutissime.*

*Ruricola.* Porridge dextram! omnino honestum nulla unquam delebit vetustas.

*Civis.* Resumo novitates, quas in ultimo nostro colloquio abruperam. Tenemus jam rumores Londinenses usque ad 10. Septembris. Tractatus cum Gallia durant; adhuc die 8. venit Parisiis a Lordio Lauderdale Londinum cursor, et valor publicarum pecuniarum est auctus. Verum Foxius proba-

biliter migrabit, pessime valet, et — absque spe salutis.

Tractatus Galliam inter, et Russiam, quem Imperator Alexander ratum non habuit, ita sonat:

§. 1. A die hodierna computando in perpetuum erit pax, et amicitia inter Suam Majestatem Imperatorem Gallorum, et Regem Italiae, eorum haeredes, et successores, Regna, et subditos.

§. 2. Ut consecrarium primi §. cessant illico omnes hostilitates inter utramque nationem tam terra, quam mari. Necessaria hanc in rem mandata intra 24. horas post subscriptam praesentem conventionem expedientur. Omnes bellicae, aliaeque naves utriusque nationis, quae post subscriptum hunc tractatum in quacunque mundi parte interciperentur, restituentur suis dominis.

§. 3. Russicae copiae tradent gallicis territorium sub nomine *Bocca di Cattaro* notum, quod una cum Dalmatia vi articuli 4. Pacis Posoniensis ad Suam Majestatem Imperatorem Gallorum, qua Regem Italiae spectat.

Russicis legionibus praestabuntur omnia media ad commode exeundum non tantum ex territorio Cattarensi, sed etiam ex Ragusano, Nigromontano, et Dalmatico, si illas adjuncta belli illuc evocarunt.

Quamprimum fuerit haec conventio nota reddita, Praefecti utriusque nationis tam terrestres, quam maritimi deliberabunt de habitu copiarum, et traditione provinciae.

§. 4. Sua Majestas Imperator Gallorum, et Rex Italiae assentitur petitioni Suae Majestatis Imperatoris Russorum, et ut eidem benevolentiam exhibeat:

1.) Reipublicae Ragusanae priorem reddere libertatem ea sub conditione, ut, sicuti prius clientela Portae Ottomanicae fruatur.

Galli retinebunt positionem ad Stagno in peninsula Sabioncella ad communicationem cum Cataro defendendam,

2.) Omittere omnia hostilia molimina adversus nigromontanos a die subscriptionis hujus conventionis, quamdiu illi, ut turcos subditos decet, pacifici fuerint. Obligantur illico domum redire, et Sua Majestas Imperator Napoleon pollicetur se eos non infestaturum, neque inquisiturum in hostilem eorum conatum, quem in territorio Ragusano, et adjacente vicinia praestiterunt.

§. 5. Independentia Reipublicae 7. insularum ab utraque gente agnoscitur. Russicae copiae, nunc in mari mediterraneo existentes discedent ad insulas Jonicas. Sua Majestas Imperator Russiae ad dandum specimen sinceræ suae propensionis in pacem, ibidem plures 4 mille armatis non relinquet, sed et hos inde avocabit, ut primum Sua Caesarea Majestas necessarium judicaverit.

§. 6. Independentia Portae Ottomenicae ab utraque parte promittitur, atque densio omnium ad eam pertinentium regionum.

§. 7. Quamprimum, convenienter praesenti pacis tractatui datum fuerit mandatum, ut Russi excedant ex oris Cattarensibus, sublata omni ansa hostilitatum gallicae copiae se ex Germania retrahent. Sua Majestas Imperator Napoleon declarat futurum, ut non tardius, quam tres menses a subscriptione hujus tractatus elaborantur, omnes ejus legiones pedem referant in Galliam.

§. Ambo contrahentes dabunt operam, ut bellum Borussiae inter, et Sveciam primo quoque tempore finiatur.

§. 9. Cum ambo contrahentes optent accelerare pacem etiam in maribus, Imperator Gallorum libenter acceptat oblata in hunc finem bona officia Imperatoris Russorum.

§. 10. commercium inter subditos utriusque Imperii ad eum statum reponitur, in quo erat ante exortas hostilitates.

§. 11. Omnes utriusque nationis captivi absque omni exceptione reddentur suae nationis Agentibus, quamprimum fuerint *rati-  
ficationes*, ut ajunt, permutatae.

§. 12. Ordo mittendorum, excipiendorumque legatorum utriusque Gen-  
is idem erit, qui viguit ante bellum.

§. 13. Confirmatio hujus conventionis commutabitur intra 25 dies Petropoli inter

mandatarios utriusque gentis ad id destina-  
tos.

Conclusum, et subscriptum Parisiis  
8. (20) Julii 1806.

Subscripti:

*Petrus Oubril.*

*Clarke.*

*Francofurto 16. Septembris.* Imperator, et  
Rex Napoleon, ad interpositionem nostri be-  
nignissimi Domini, Principis Primatis, urbi  
nostrae, residuum illam, nondum persolu-  
tam contributionem, quae intra decursum  
hujus anni imposita fuit, clementissime con-  
donavit, demandavitque, ne amplius exi-  
gatur. Sua Majestas hoc in datis die 2. hu-  
jus ad Principem Primatem litteris significa-  
vit, qui Magistratui per suum Status Mini-  
strum, L. Baronem Albini notum reddidit.  
Magistratus id ipsum communicavit sine  
mora cum omnibus civilibus collegiis, at-  
que in porrecto ad Suam Eminentiam humil-  
limo scripto adnitus est contestari gratum  
animum, quo omnes cives occupati sunt  
ad tanti beneficii magnitudinem, quod jam  
primum auspiciati ejus regiminis momentum  
condecorat.

---

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 83. (*Neovidensis* 1806. Nro. 76.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter  
ac mortuos.*

Epistola data ad Lucam Gauricum —  
in Elysium.

*Ex mundo superiore.*

Elysium -- Meum. -- Die Martis 7. Octob. 1806 (Neov. 23. Sept

Quoties audio sermones misceri de Astrologia, toties mihi incidit, Majores nostros multa tribuisse experientiae, multos utiles conscripsisse libros, et magnam scientiae Astronomicae adjunxisse fidem. Hodie talis Propheta Astronomicus, qualis quondam erat Gauricus, domui stultorum includeretur, ejusque praedictiones communi omnium risu exciperentur.

Extra omne tamen dubium positum est, corpora coelestia solem, et Lunam, tempestates, atque aërem magnam habere vim in homines, ut adeo facili negotio nascantur effectus, qui magnam in corpore nostro, et anima inducant mutationem. Effectus tantae vis potest observari, et in calculum vocari, atque inde promanantia consecutaria praevideri, et praedici. Hoc tu, erudite Gaurice! in tuo Astrologico tractatu gravibus demon-

strasti argumentis; quis igitur esse potest, qui lectis tuis scriptis, propugnare ausit te ingentibus sumptibus, admirandaque subtilitate nonnisi nugas scripsisse, atque ad posteros transmisisse? Ego potius hujus sum opinionis, Astrologiam, ut debite comprehendatur, indefessam requirere operam, et studium; et nostros Philosophos, qui plerumque suam cognitionem ex fabellis Romanensibus Encyclopediis, et ephemeridibus hauriunt, nec sibi tempus sumere ad eam discendam, nec rite informatos esse, ut doctrinam, quae, ut illi ajunt, ex vanis constat mysteriis, assequantur. Verbo: Astrologia hoc tempore ex catalogo scientiarum est penitus expuncta. Atque hoc veritati conveniat?

Profecto solatium erat mortalibus, magni momenti facta expectantibus adire oracula, deinde vero tardius sidera consulere. Fiebat hoc ad removendum rerum futurarum, quae semper adhuc ignotae manent, siparium; Sed quid modo conatui huic suffectum est? In locum oraculorum, et Astrologiae recurrimus ad ephemerides, in his quaerimus, quod metuimus, vel speramus; cupimus curiositati futura rescindi satisfacere, legimus eas, et relegimus, ut detegamus, an hoc, vel illud sit eventurum. Sed, quaeso, suppeditantur ne rerum novarum commentarii certiora argumenta, quam oracula, et Astrologia? Hoc equidem unicuique liquet. *De futuris*

*contingentibus non datur quoad nos determinata veritas.*

Grandium eventuum nos tenet expectatio, quid parturiet mundus? bellumne, an pacem? Quid tu divinares, si vitam adhuc ageres? Suspice coelum, adducam, quae in utramque partem proferuntur.

Inde a duobus circiter mensibus videbantur Borussiam inter, et Galliam enatae fuisse quaedam dissensiones, quae in dies ita increverant, ut produxerint bellicos apparatus. Hinc nonnulli bellum futurum concluderunt. Verum Monitor Parisinus in exordio scripti, in quo memorat non esse ratum habitum a Russia tractatum pacis ab Oubrilio subscriptum, Borussiam nominat Galliae foederatam. Quare intulimus: ergo non erit bellum.

Paulo post magis percrebuit fama de itineribus militum, et bellico apparatu; canebantur Berolini cantilenae bellicae, munimenta reparabantur, annunciatus est adventus copiarum Russicarum. Itaque conclusio: erit bellum. At cuilibet venit in mentem, qui cursum politicum observabat, Borussiam etiam superiore anno varia instituisse itinera cum suis legionibus, quin alicubi conflixeriat; praeterea eam esse Borussiae consuetudinem, ut armata celebret tractatus, ac denique in locum prioris Legati Luchesinii mississe alium Knobelsdorfium. Igitur sponte sua sequebatur, nullum futurum bellum.

Interim inter Angliam, et Borussiam status hostilis perduravit. Legatus Borussicus Jakobius Londino discessit, Naves Borussiae captae distractae sunt, implacabilis Borussiae hostis Foxius dirigebat negotia Angliae. Quamobrem ita ratiocinabamur: Borussia, et Gallia consentiunt in hostilitatibus contra Angliam, ambae ad eandem collineant metam: ergo pax. Verum Borussia reconciliata est Sveciae, cedendo eidem Ducatum Lauenburgicum, continuavit suos bellicos apparatus contra Galliam, jussitque declarari, se imperium ne pagum quidem cesseram. Hae considerationes induxerunt nos ad formendam consecutionem: ergo geretur bellum.

Rhenani foederis ephemerides uno ora dicebant, Borussiam in eo eniti, ut cum Saxoniam, et Hassiam erigatur foedus septemtrionale, cujus Primas esset Dux Brunsvicensis; Haec omnia mutuo consilio cum Gallia fuisse acta putavimus, persvasumque habuimus; ergo pax. Ast contrarium patet ex sequentibus:

Gallicae ephemerides hodierna politica Borussiae negotia erga Saxoniam, et Hassiam ita describunt. Dresda 4. Septembr. Dominus Goetz animo inquieto discessit ex Aula Saxonica. Elector dicitur declarasse, se velle negotia Borussiae, uti nunc sunt, sustentare, quod au em nova foedera attinet, noile prius ea inire, quam eorum finem, et extensionem plene cognoverit; Praeterea mentem suam aperuit, propositiones sibi a Borussia

factas esse summi momenti pro sua domo, concernunt enim independentiam Saxoniae; a momento autem conjunctionis cum Borussia Saxonis nullam haberet amplius liberam voluntatem, adeoque securitati, quae illi ex systemate Europaeo competit renunciare deberet, in eumque redigeretur statum, ut sit provincia Borussiae. Saxonia pro Borussia renuit arma capere, quod enim a Gallia metueret, non habet, illa etenim jura Saxoniae suprema recognovit, declaravitque, Saxoniae Imperanti optime constare, quod exigant commoda ejus domus, et provinciarum, eam colere intimam amicitiam cum Austria, aliique vicinis, et ideo ad arma descendere, esset facere inutiles sumtus.

Similis ferme articulus continetur in iisdem ephemeridibus Casselis de 6. Septembr. Fama fert, Electorem Hassiae ad requisitionem Borussicam, ut suas copias educat in aciem, negativum dedisse responsum; nullum enim invenit motivum hostilia meditando. Austria pacata est, lis inter Sveciam et Borussiam vicens Hassi nihil interest, Gallia autem Electori significavit, se agnoscere ejus independentiam: Quocirca vera Electoris utilitas in eo consistit, ut pace fruatur, quod propositum videtur servaturus, hoc vero non denotat amicitiam, ergo bellum.

Recordatio praeteritorum factorum, quae Borussia Galliae ita officiose exhibuit, illam jucundam in animis nostris excitarunt cogitationem, nunquam posse oriri dissensiones

inter duas has gentes. Ergo pax. At jam res tormentaria, quae a magno exercitu per Ulmam Argentoratum transiverat, revehitur, jam sermo est de novis copiis ex Gallia, in Hollandiam, et Germaniam inferiorem proficiscentibus. Ex altera autem parte iter faciunt Borussi per Saxoniam, seque a circulo Vestphalico usque Franconicum extendunt; ipse Rex die 15. hujus Berolino se contulit ad castra, Magdeburgum, et Hallam. Ambo exercitus stant oppositi in circulo Vestphalico, et parant conflictum. Quid hinc aliud eruere licet quam cruentam dimicationem? Nulline adhuc apparent in coelo cometæ, aliave similia portenta, quae magnarum calamitatum praenuncia sunt? Nihil horum. Ergo etc.

In medio horum apparatusum adjungit Dania Holsatiam, ad nuperrime extinctum Germanicum Imperium pertinentem, suo Regno sequenti proclamatione:

Christianus VII. Dei gratia Rex Daniæ Norvegiæ, Venedorum, & Gothorum, Dux Slesvicensis, Holsaticus, Stormariensis, & Ditmarsiensis, nec non Oldenburgicus &c. Postquam in Comitibus Imperialibus die prima praeteriti mensis a nonnullis Statibus, & ordinibus sublatum est vinculum Imperii Germanici, & paulo post Sua Majestas Imperator Romanorum se suprema dignitate abdicavit, sicque Germanica constitutio penitus extincta est, & ideo etiam legitimus nexus, qui inter nostro gubernio subjectas provinci-

as, et Caesarem, atque Imperium interceserat, omnesque aliae obligationes dissolutae sunt; eapropter ratione futurorum negotiorum in his nostris germanicis provinciis occurrentium sequentia satuimus, & mandamus: Noster Ducatus Holsatiae, Dynastia Pinnebergensis, Comitatus Ranzoviensis atque urbs nostra Altonavia sub communi nomine Ducatus Holsatiae conjungentur cum reliquis conditionibus nostrae Monarchiae subjectis, efficientque indivisibilem ejus partem, nostraeque illimitatae potestati suberunt. Ex consideratione autem sublatis nexibus diſtarum nostrarum provinciarum cum judiciis Germanici Imperii constituimus supremum tribunal jam existens Tychopoli sub nomenclatione nostri Regii Holsatici supremi judicii, ita tamen, ut Nobilium provinciale judicium sub nostra suprema auctoritate in suo statu usque ad ultiores ordines subsistere possit. Et licet per sublatam Imperii Germanici constitutionem leges Imperiales omnem vim obligandi amiserint, volumus tamen, et praecipimus tenore praesentium, ut usque introducendum universalem Codicem, pro quo elaborando necessaria jam dedimus mandata, omnes causae in nostro Ducatu Holsatiae juxta statuta et consuetudines locorum, et normam in germanicis legibus praescriptam, quatenus haec ad civilia, et criminalia jura spectant, decendantur. His itaque singuli se accommodare noverint. Datum in arce nostra

Fridericoburgensi 9. Sept. 1806. Regiminis  
nostri 41.

Christianus R. Mösting Ranzan.

Janssen. Jensen.

---

B I O G R A P H I A .

*Gauricus*, Lucas, praeclarus Saeculi 16.  
Astrologus, Gisionio in Regno Neapolitano  
oriundus, celebritatem nominis est conse-  
cutus sub Romanis Pontificibus Julio II.  
Leone X. Clemente VII. et Paulo III. qui  
eum singulariter distingvens creavit Episco-  
pum. Quamvis stupendae narrentur de eo  
praedictiones, certum tamen est, eum tan-  
tum favisse credulitati plebis, nam paucas  
eventus comprobavit. Nonnulli asserunt,  
praedictam fuisse ab eodem infelicem Hen-  
rici II. Galliarum Regis mortem, at falsum  
est, nam contrarium annunciabat. Gau-  
ricus diem obiit supremum Ferrariae Anno  
1559. annos natus 82. Extat *Tractatus A-*  
*strologicus* ab eo editus, et alia etiam opera.  
Ejus frater Pomponius Gauricus erat egre-  
gie versatus in antiquitatibus, et arte poë-  
tica, a quo perinde habemus nonnullas lu-  
cubrationses.

---